

3584 tabula ahenea (alta pal. 1 scarso, e longa più d'un palmo INVENTARIUM a. 1738). Rep. in civitate Tiburtina ZAPP. Rep. Tibure con la testa di quel Lucio Cornelio praetore di marmo LIG. Tibure rep. 'hisce temporibus, dum aedium quarundam apud S. Laurentii effoderentur fundamenta, et iuxta caput quoddam marmoreum quod Tiburtis praetoris esse creditur imago' NIC. Rep. una cum capite quodam marmoreo in alcune rovine di muri antichi fatti ad opera reticolata, cavandosi una cantina non lunge dalla chiesa di S. Lorenzo vicino al luogo detto la Forma ANT. DEL RE cap. 5 (ed. p. 108). Dal ritrovatore fù venduta scudi venticinque a Curtio Curtio Alessio canonico di S. Giovanni Laterano di Roma, e da questo fù venduta scudi cento a Fulvio Orsino ANT. DEL RE cap. 8. Apud Fulvium Ursinum extabat iam anno 1581, quo notae Ursini ad Festum primum editae sunt (cf. infra). 'Senatui populoque Romano lego caput marmoreum L. Cornelii Praetoris, cui a tergo pendet anulus aereus, fidem faciens appensum olim fuisse in aliquo publico loco civitatis Tiburtinae cum aenea tabella, quam simul lego antiquissimis Romanis litteris incisam, cupiens eam in Capitolio reponi cum suprascripto capite marmoreo eo potissimum loco, quo Bruti caput aeneum hodie servatur' TESTAMENTVM FVLVVI VRSINI factum d. 21 Ian. 1600 editum ad calcem vitae Ursini auctore Iosepho Castalione Romae 1657 (p. 24). Non recte igitur Ant. del Re cap. 8 tabulam hanc aheneam ab Ursino cardinali Farnesio esse relictam et apud hunc extare perhibet. Ceterum quo pervenerit post mortem Ursini, incertum est; sed numquam videtur pervenisse in Capitolium. Extare in casa Barberini nel museo unito alla libreria ait REVILLAS; recensetur in 'Inventario bonorum hereditariorum fideicommissariorum cl. m. cardinalis Caroli Barberini' (Documenti inediti per servire alla storia dei musei d'Italia 4 p. 75) facto a. 1738 adstante Ficoronio, cf. ipse Ficoroni le singolarità di Roma moderna p. 54; item 'parmi les restes du cabinet des princes Barberini' vidit VISCONTI a. 1790. Apud Barberinos frustra se quaesivisse ait NIEBVHR hist. Rom. vol. 3 p. 310 not. 466. Imago illa marmorea quae una cum aere reperta et una cum ea Viscontio visa est apud Barberinos, nunc extat in Britannia Holkham Hall (cf. Michaelis Ancient marbles in Great Britain p. 318 n. 53); illic potius quam Romae tabula nostra erit quaerenda. — Falsum sine dubio exemplum huius tabulae (altum unc. 6 long. 11 auctore Musellio) videtur extitisse in museo Veronensi, testibus Maffeo mus. Ver. p. 175, qui male non solum hoc exemplum sed ipsam inscriptionem spuriam iudicavit, Musellio in catalogo ms. musei Veronensis, Tommasellio in commentario edito de museo Veronensi (cf. huius corp. vol. V p. 326) p. 186, Venturio in notis ms. ad Tommasellium.

L · CORNELIVS · CN · F · PR · SEN · CONS · A · D · III · NONAS · MAIAS · SVB · AEDE · KASTORVS  
 SCR · ADF · A · MANLIVS · A · F · SEX · IVLIVS · L · POSTVMIVS · S · F  
 QVOD · TEIVRTE · V · F · QVIBVSQVE · DE · REBVS · VOS · PVRGAVISTIS · EA · SENATVS  
 ANIMVM · ADVORTIT · ITA · VTEI · AEQVOM · FVIT · NOSQVE · EA · ITA · AVDIVERAMVS  
 5 VT · VOS · DEIXSISTIS · VOBIS · NONTIATA · ESSE · EA · NOS · ANIMVM · NOSTRVM  
 NON · IN · DOVCBAMVS · ITA · FACTA · ESSE · PROPTER · EA · QVOD · SCIBAMVS  
 EA · VOS · MERITO · NOSTRO · FACERE · NON · POTVISSE · NEQVE · VOS · DIGNOS · ESSE  
 QVEI · EA · FACERETIS · NEQVE · ID · VOBIS · NEQVE · REI · POPLICAE · VOSTRAE  
 OITILE · ESSE · FACERE · ET · POSTQVAM · VOSTRA · VERBA · SENATVS · AVDIVIT  
 10 TANTO · MAGIS · ANIMVM · NOSTRVM · IN · DOVCIMVS · ITA · VTEI · ANTE  
 ARBITRABAMVR · DE · EIEIS · REBVS · AF · VOBIS · PECCATVM · NON · ESSE  
 QVONQVE · DE · EIEIS · REBVS · SENATVEI · PVRGATI · ESTIS · CREDIMVS · VOSQVE  
 ANIMVM · VOSTRVM · IN · DOVCERE · OPORTET · ITEM · VOS · POPVLO  
 ROMANO · PVRGATOS · FORE

Citat Fulvius Ursinus in notis ad Festum (ad v. publica pondera) editis primum una cum ipso Festo Romae apud Georgium Ferrarium a. 1581, idem edidit a. 1583 post Antonii Augustini librum de legibus n. 22, unde mox repetita est in altera editione eius libri facta Parisiis a. 1584; reperitur etiam in codice Ant. Augustini bibl. Matrit. 287 f. 37 missa sine dubio ab Ursino. Eodem fere tempore quo primum ab Ursino iuris publici facta est inserta est a Ioh. Mar. Zappi collectaneis suis nunc curiae Tiburtinae; item non multo post exhibent Ligorius (defunctus ut videtur a. 1593) ms. Taur. vol. 19 s. v. Teibur et Nicodemus (inter 1585 et 1590) p. 60 (lib. 3 cap. 2). Ex his quin Ursinus ad aes exhibuerit, quod ipsius iam tum erat, non est dubium; sed possunt etiam Tiburtini Zappius et Nicodemus aes descripsisse vel Tibure antequam Romam afferretur vel Romae, Ligorius etiam qui tunc Ferrariae degebat potest habuisse exemplum autographum transmissum sibi ab amico vel Tiburtino vel Romano. Quemquam ex his auctoribus pendere ex editione Ursiniana probari non potest, nam errorem v. 12 SENATVI pro SENATVEI mero casu Zappius et Nicodemus cum editione Ursiniana communem habere possunt. Pendent ex Ursini editione Parisina Lipsius auctar. p. 6 et Grut. 499, 12, in cuius editione altera dicuntur adhibitae esse schedae Ursini; ex Zappii schedis Antonius del Re ms. cap. VIII; ex Nicodemo, certe hunc laudat, Marzi I p. 76. 77. II p. 100, item, sed neglegentissime, S. Viola storia di Tivoli I ad p. 114; ex Marzio Kircher Lat. p. 137 (ex hoc Vulpi Lat. 10 p. 61, qui dicit adhibuisse se etiam Ioh. Aloysii Zappii schedas). Postea primus et solus quantum scimus — nam ex libris editis videntur esse descripta exempla duo quae reperiuntur inter schedas Didaci Revillas nunc Berolinenses — aes examinavit E. Q. Viscontius qui descripsit, ut ipse adfirmavit, anno 1790, unde edita est iconographie romaine I p. 89 ed. Paris. 1817 (p. 121 ed. Mediol. 1818), sed quanta cura aut Viscontius negotio functus aut Viscontii exemplum typis editum sit, non constat; certe exempli eius auctoritas multum infringitur ea re, quod Viscontius duobus tantum locis exemplum suum differre ab exemplo Gruteriano diserte testatur, cum exemplum quod edidit multo pluribus locis (sexies vel septies, prout primam aut secundam editionem Gruteri a Viscontio adhibitam esse sumimus) ab illo differat; praeterea in altero ex locis de quibus Viscontius diserte testatur, aperte erravit (cf. infra ad v. 8). — Principium (vv. 1. 2 et ex v. 3 plurimas litteras dimidiatas) delineavit Piranesius lapides Capitolini sive fasti consulares triumphalesque (1762) (inde repetivit Ritschl tab. XLVIII G), verum non ex aere, sed ornamenti causa ita ut ipsi libuit. Ex Grut. et Viscontio Orelli n. 3114. Huius corp. vol. I p. 107 n. 201 cum add. p. 556.

Subieci integram variam lectionem Ursini Zappii Ligorii Nicodemi Viscontii (ed. Paris.). — Versus aliter dividit Lig.

4 CONS Urs. Zapp. Lig. Nic., CON Visc. — KASTORIS Zapp. — 2 SC·R·AD·F Lig. — IVLIVS] VILIVS Zapp. — Post IVLIVS spatium vacuum relinquunt Urs. Lig., lacunam indicat Nic.; reliqui continuant. — 3 TIBVRTES Zapp. — 4 ADVERTIT Zappi. — NOSQVE Lig., NOSQ Zapp. — 5 VOS] SVOS Nic. (errore typogr.). — VOBIS Nic. — NOTITIATA Lig. — 6 IN·DOVCBAMVS cum puncto Urs. Lig. Nic. Visc. — 7 NEQ Zapp. — 8 QVEI·EA omnes excepto Viscontio, qui EA vocabulum deesse diserte testatur, qua in re nisi fallor erravit, nam quamquam consensus reliquorum ita explicari potest, ut Zappi Nicodemus Ligorius pendeant ex Ursino, ipse Ursinus vocabulum EA numquam in textum recepisset nisi id legisset in aere. — FACERITIS Lig. — NOSTRAE (pro VOSTRAE) adfertur ex Ursini schedis in Grut. ed. 2. — 9 POST·QVAM Lig. Nic. — 10 IN·DOVCIMVS Urs. (ap. Aug.), INDOVCIMVS Urs. (ed.) Nic. Zapp. Visc., INDOVICIMVS Lig. — 11 EIEIS] IEIS Visc. — AF] A·F·FECIT Lig. — VOBIS Urs. (ap. Aug.) Visc. — 12 QVONQVE Lig. — SENATVEI Urs. (ap. Aug.) Lig. Visc., SENATVI Zapp. Urs. (ed.) Nic. — 13 IN·DOVCERE Urs. (ap. Aug.) Lig., INDOVCERE Zapp. Nic. Visc., INDOVCERE Urs. (ed.). — Post FORE interpunctionem exhibet Visc.

1. 2 L. Cornelius Cn. f. praetor sen(atum) consuluit a(n)te d(iem) III nonas Maias sub aede Kastorus. | Scribendo adf(uerunt)  
A. Manlius A. f., Sex. Iulius . . . , L. Postumius S. f. |
3. 4 Quod Teiburtes v(erba) f(ecistis) quibusque de rebus vos purgavistis, ea senatus | animum advortit ita uti aequom fuit —  
5. 6 nosque ea ita audiveramus | ut vos deisistis vobis nontiata esse —: ea nos animum nostrum | non inducebamus  
7. 8 ita facta esse, propterea quod scibamus, | ea vos merito nostro facere non potuisse, neque vos dignos esse | qui ea  
9 faceretis, neque id vobis neque rei poplicae vestrae | oitile esse facere; et postquam vestra verba senatus audivit, |  
10. 11 tanto magis animum nostrum inducimus (ita uti ante | arbitrabamur), de eieis rebus af vobis peccatum non esse. |  
12. 13 Quonque de eieis rebus senatuei purgati estis, credimus, vosque | animum vestrum inducere oportet, item vos populo |  
14 Romano purgatos fore.

Tiburtini cum accepissent, rumores Romae circumferri de nescio quo facto ab ipsis adversus societatem cum Romanis commisso (cf. v. 4 nosque ea ita audiveramus, ut vos deisistis vobis nontiata esse), legatos Romam misisse videntur. Ei in senatum introducti a L. Cornelio Cn. f. praetore sine dubio urbano, qui consulum absentium vices sustinere solebat, verba ibi fecerunt, quibus suspicionem illam diluerent. Referente deinde L. Cornelio senatus consultum factum est, quo Tiburtinos innocentes videri ab illa suspicionem senatus censuit. Reductis igitur in senatum legatis L. Cornelius ea respondit, quae leguntur in hac inscriptione inde a. v. 3; iussit eos bono animo esse; neque credidisse senatum adversis illis rumoribus, et multo minus credere; proinde confidere eos debere, idem universum populum Romanum sentire. Legatis cum hoc responso in patriam reversis Tiburtini in aes incidendum et publice proponendum curaverunt senatus consulti illius principium, id est nomen relatoris, diem et locum, nomina testium qui scribendo adfuerunt, deinde quae de senatus sententia praetor Romanus legatis responderat. Quando haec res acciderit, alibi non traditur; hoc apparet verba illa praetorem Romanum ad Tiburtinos facere non potuisse post annum 664, quo Tiburtini cives Romani facti sunt; ac ne ipso quidem anno 664, de quo cogitaverat Viscontius, veri simile est, Tiburtinos, cum pars magna Italiae esset in armis, Romani autem sociis fidelibus civitatem iam essent daturi, propter nescio cuius facti suspicionem exterritos legatos misisse Romam ad diluendam suspicionem et responsum a senatu impetratum publice proposuisse. Multo veri similis est accidisse id exeunte fere saeculo ab u. c. sexto, cui tempore hanc tabulam propter sermonem attribuit Ritschelius *mus. Rhen.* 9, 1853 p. 15 = *opp. philol.* 4 p. 229; et cum Ritschelio adstipulati sint Foucartius *archives des miss. scientif.* ser. II vol. 7, 1872 p. 341 et nuper etiam Mommsen *eph. ep.* I p. 285 (nam antea is aliter de aetate huius senatus consulti statuerat), propter omissas tribus in nominibus testium, cum senatus consulta saeculi a. u. c. septimi constanter in eis nominibus habeant tribus adscriptas, nihil obstat quominus statuamus, id quod aliis praeceuntibus proposuerat Ritschelius, praetorem memoratum in v. 3 esse L. Cornelium Cn. f. Lentulum Lupum consulem a. 598, tabulam autem hanc scriptam esse aut anno 595, quo primum per leges annales is qui a. 598 consul factus est praetor esse poterat, aut paullo antea. Accedit quod, quamquam etiam omni alio tempore homines appellati A. Manlius A. f., Sex. Iulius, L. Postumius S. f. in senatu esse potuerunt, tamen ea aetate, cui Ritschelius hanc tabulam attribuit, tres homines ita appellatos in senatu fuisse, et quidem eodem dignitatis ordine, quo in hac tabula recensentur, certo constat (qua de re monuit Willems *le sénat de la république romaine* 1 p. 251). Nam A. Manlius A. f. non videtur esse diversus ab A. Manlio A. f. Torquato, qui fuerat consul anno 590, Sex. Iulius non diversus a Sex. Iulio Sex. f. Caesare, qui fuerat aedilis curulis anno 589, teste didascalica Terentiana, et consul factus est anno 597, anno igitur 595 sine dubio fuit praetorius, denique L. Postumius S. f. non diversus a L. Postumio Sp. f. Albino, qui cum aedilis curulis fuerit anno 593 teste altera didascalica Terentiana, anno 595 fuit aedilicius.

**3585** apud castrum versus Tibur [scr.: 'apud castrum vetus Tibure'; Castrum vetus sive Castrovetere appellabatur pars urbis Tiburtinae ea ubi sunt templa vulgo dicta Sibyllae et Vestae; cf. Nibby *analisi* 3 p. 186].

M · ACCENNAE · L · F · GAL  
SATVRNINO  
PROCOS · PROVINC · BAETIC  
PR · TR · pl · QVAESTORI  
5 ATILIA · L · F · BALBILLA  
MARITO · OPTIMO

Servavit Iucundus Veron. f. 134, Magl. f. 110' (inde Murat. 665, 4 cui misit Gorius). Pendet ex Iucundo etiam Donius ms. Neap. p. 185, 6, ed. 5, 142 'ex ms. antiquo'.

5 PR · TR · omisso PL · Iuc., unde Muratorius fecit PR · PR, quod Marinius Arv. 750 n. 103 non recte correxit PR · F · D.

**3586** cippus marmoreus magnus. Tibure rep. ad divi Andreae mense Septembri 1763 DON., similiter MINGAR. qui addit una repertum esse statuae truncum brachium et crus sinistrum'. Extat Tibure in curia.

P · AELIO · COERANO  
COS · PROCOS · PROV · MAC ·  
LEG · LEG · VIII · AVG · IVRIDICO  
PER · FLAMINIAM · ET · VMBRI  
5 AM · PRAET · VRB · TRIB · PLEBEI ·  
KAND · QVAEST · IIIVIR · IVR · DIC ·  
FRAT · ARVALI · CVRAT · CIVIT  
ANTIATIVM · ET · AQVINATIVM ·  
PATRONO · ET · FLAMINI · DIALI · TIB  
10 DECVRIONES · TIBVRTES

Descriptis Henzen, recognovi ipse. Mingarelli in ephemeride Veneta *la Minerva* d. 20 Oct. 1763 p. 133; *Novelle Fiorentine* 1763 p. 697; Donati 245, 2 descriptam ab Alexandro Cecchinio Romano; Galletti Vat. 7929 f. 288; Oderico sched. Genuen. f. 8; Marini *difesa della serie dei prefetti di Roma del Corsini* p. 76, Arv. tab. LX cf. p. 777 (inde Orelli 3854); Cabral et del Re *appendice* p. 10; E. Q. Visconti cod. Par. Lat. 9697 f. 74; Sebastiani p. 186.

Falsum exemplum imperitissime sculptum extat in museo Vaticano (*Chiaramonti*), damnatum iam a Marinio l. c. (inde pendet Sebastiani l. c.).

P. Aelius Coeranus memoratur in actis fratrum Arvalium annis 213 et 214 (ubi appellatur P. Aelius Coeranus iun.).

**3587** tabula marmorea. Tibure DONAT., in aedibus Boschi MARIN. Mense Apr. 1828 Romam translata FEA. Est in museo Lateranensi inter reposita.

ARRIANVS · APER · VETVRIVS PRAET · PEREGRINO · T.  
sic SEVERVS · COS · XV · SAC · FAC · TRIB · MIL · LEG · XV · APOLLINARIS

Descripti post Detlefsenum. Donati 275, 1 cui misit Hannibal Olivieri; Marini ms. Vat. 9127 f. 256, Arv. p. 827; Fea sched. f. 174; Borghesi posuit in epistula data ad Gerhardum d. 7 Mai. 1832 (edita opp. 6 p. 467) repetitam ex Marinio, sed dicit se vidisse.

Duabus paginis exarata erat inscriptio. — b 1 fin. fuit ut puto praet(orio) peregrino, [trib. pleb.]; male pro PEREGRINO · T, quod certum est, Borghesius ait legi posse PEREGRINOR.